



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE  
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa  
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

**Schulting, Cornelius**

**Coloniae Agrippinae, 1599**

**VD16 ZV 14233**

Reverendissimis Ac Serenissimis Principibus Ac Dominis D. Ernesto S.  
Ecclesiae Coloniensis Archiepiscopo Sacri Romani Imperij per Italiam  
Archicancellario Principi Electori &c. & Ferdinando ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

REVERENDISSI-  
MIS AC SERENISSIMIS  
PRINCIPIBUS AC DOMINIS D.  
ERNESTO S. ECCLESIAE COLO-  
niensis Archiepiscopo Sacri Romani Imperij per  
Italiam Archicancellario Principi Electori &c.  
& Ferdinando Archiepiscopatus Coloniensis &  
Præposituræ Bergtesgadensis Coadiutori & Ad-  
ministratori, Præposito Argentinensi, Co-  
miti Palatino, Rheni vtriusque Ba-  
variae Duci salutem in  
Domino,



REVERENDISSIMI ac Serenissimi  
Principes patroni observandissimi: Po-  
litia institutio optimarumq; legum dis-  
ciplina idem est in Diocesi, quod in navi  
gubernaculum, intendendi remittendi-  
que præcepta in harmonia, ordo in exercitu, anima in  
corpore. Vnde Athene tantoperè ab omnibus celebra-  
te quum hoc gubernaculum amplius regere & tene-  
re non possent, tanquam destitute remis & guberna-  
culis quibusvis fluctibus, & tempestatibus iactata perie-  
runt. Hinc etiam vetus illa Lacedæmon quum Lycur-  
gæos modos numerosque remitteret, tanquam har-  
monia quadam dissoluta est. Hinc Romanorum exer-  
citus potius quam Respub. ordine atque disciplina mi-  
litari, qua semper feriores fuerunt, quam viribus  
relaxa-



re laxata, pristinam quoque gloriam & dignitatem  
perdiderunt. Denique hinc tot oppidorum hodie ubi-  
que iacent proiecta cadauera, quod regendi forma  
Paulatim immutata, tandem vniuersam politiam &  
disciplinam tanquam animam amiserint. Atque ut  
hæc multis Respub. & alijs societatibus accidisse te-  
statur, quæ Græci Romanq; scriptores monimētū pro-  
diderunt ita in sacris monumentis & historijs Ecclesiæ  
optimè institutam, ordinatamque disciplinam corru-  
pisse & neglexisse legimus. At tamen quidem id maio-  
re suo periculo, quod præter ea incommoda, quæ alijs  
ex bonarum legum amutatione solent contingere,  
Deum legistatorem semper experta est sibi sprete dis-  
ciplina ultorem atque vindicem imminere. Atq; ut ta-  
citus præteream Iudaica synagoga ruinas, quicunque  
Catholica Ecclesiæ historiam diligenter & attentè le-  
gerit, reperiet superiorem temporum calamitatē. quæ  
Eccles. Colon. quodammodo quasi mortua per annos  
multos & prostrata iacuit, quantum ad disciplinā at-  
tinet non aliunde ortam, quam à neglectis saluberrimis  
& Sanct. Discipl. institutis, quibus à Christo &  
SS. Patribus & Antistibus ad omnem aternitatē fun-  
dabatur, quare mihi mirum videri solet tam paucos  
seriò de hac vita tuenda & conseruanda cogitare, &  
doctrina Euang. & Apostol. traditionibus Ecclesiast.  
tanquam bona valetudine contentos, de Disciplina,  
quæ eandem tueantur, ac vires simul & colorē acqui-  
rant, non magis esse sollicitos. In Vestris verò Celsit.



EPISTOLA.

Serenissimi Principes restituenda huius Diocæseos per bonam Disciplinam tam militarem quam Ecclesiasticam, omnis spes nostra post Deum & tutelares sita est. Iacuit Disciplina in hac Diocæsi longo iam tempore, visitationes Ecclesiarum fuerunt intermicta, vitia enormia cleri & populi passim impune grassata sunt, optimi quique irrisionibus, veneni propinationibus, contumelijs, opprobrijs dentatis famosis libellis, expositi fuere. Iustissimo Dei iudicio ab eo iam inde tempore, quo seuera Archiepiscoporum, Archidiaconorum, & Archipresbyterorum Disciplina elanguit, visitationes emarcuerunt, quoniam prælatis suo officio defuerunt, vertex & apex supremus omnium Prælatorum præstantissimus. Prælatus Christus negligentiam Prælatorum suppleuit & tot calamitatibus, bellis, heresibus, fame, peste, seditionibus, sterilitatibus, frugum & vinearum vicinorum hereticorum, Belgarum incursionibus & depredationibus hanc Diocæsin Coloniensem adeo seuerè visitauit, & ad extremam pene inopiam redacta ex tot tantisque afflictionibus necdum respirare aut conuiescere possit. Hac enim est iustissima Dei disciplina, de qua totum vetus & nouum testamentum tam præclare loquitur, ut iustissime à me lib. 3. cap. 20. 21. 22. 23. productis tabulis ordine percurrendo singulos libros vtriusque testamenti demonstratum est. Hanc igitur disciplinam languidam restituere, mortuam resuscitare, obliteratam renouare, extinctam reaccendere Serenissimi Principes vestrarum partium erit, hac vestra vocatio, hoc institu-

Gabriel Pa-  
laottus in Ar-  
chiepiscopali  
Bonomiensi,  
par. 18. copio-  
sè de officijs  
episcoporum  
lib. 1.



DEDICATORIA.

institutum, hoc propositum. Atque in eare Serenissi-  
 mas Celsitudines Vestras gnauiter & serid elabora-  
 turas, disciplinamque constanter administraturas pro-  
 mittit nobis heroica vestra indoles, pollicetur Princi-  
 pibus digna à teneris incunabulis adhibita optima ad  
 omnem doctrina, virtutis & pietatis cultum educa-  
 tio. Excitati magnam sui admirationem Serenissi-  
 me C. V. dum precipuas Germaniæ & Italia vniuer-  
 sitates & Metropolitanas Ecclesias excolendi ingenij  
 & pietatis maioris acquirenda causa percurrit, per-  
 uasit, peragravit, omnia loca laudis sue gloria imple-  
 uit. Testis est mater Ecclesia Roma qua abiectam C.  
 V. ad pedes Sanct. S. disertè perorantem in illa etate  
 summo perè est admirata. Agnoscit Colo. Academia,  
 in qua ornatis copiosisq; orationibus iuuentutem ip-  
 sam studiosam omnesque Academicos sape in sui ad-  
 mirationem pertraxit. Fatentur idem Moguntica  
 Treuerensis, Herbipolensis & maximè domestica ac  
 propria Engelstadiensis vniuersitates, in quibus non  
 modò præclarum Declamationum, sed & publica-  
 rum ex omni genere philosophiæ tractatarum & de-  
 fensarum questionum grauissima documenta ad om-  
 nem posteritatem promanatura extant. Nihil dicam  
 de assiduitate pie & continue residentia in diuersis  
 Metropolitanis Ecclesijs, nihil de deuotione, nihil de  
 studijs cum pietate coniunctis, nihil de bonis exemplis  
 alijs Comitibus & Ducibus datis, quibus arsit tan-  
 quam lucerna in candelabro, tanquam ciuitas supra  
 montem posita, nihil de congregationibus & pijs so-  
 cietatibus.



## EPISTOLA

cietatibus ac Confraternitatibus cultis, ijs pie commu-  
nicando & se presentem sistendo, nihil quam alijs Co-  
mitibus, Barombus, Ducibus praeluxerit & albu (quod  
aium) equis alijs equalibus praecurrerit. Praeterea  
citius ne assentari videar, ideoq; amplificare nolo ma-  
ximam clementiam & beneficentiam, pietatem, hu-  
militatem & prudentiam C.V. quae virtutes viro Prin-  
cipe dignissimae sunt, quas non ideo duntaxat in V. C.  
In oratione admiror, quod eas tantoperè praedicet in Casare M.  
pro Marcello Tullius, sed quod sacra literae passim eas pra reliquis  
Prover. 27. virtutibus in Principibus tantoperè commendent, pra-  
sertim si hostibus & persecutoribus parcant & ig-  
noscant, ut multis exemplis demonstravit, inter opera  
spiritualia misericordiae referant & annumerent.  
Quanta valeat dexteritate in conversatione cum Prin-  
cipibus virum, etiam alterius religionis vel moderatio-  
nis animis emolliendis & mitigandis, vel etiam perina-  
cibus conuincendis, & ad gremium Ecclesiae addu-  
cendis. frequens experientia docuit & omnium pru-  
dentiorum voces & linguae publice clamant. In po-  
stremis Comitibus Imperialibus tota spectante Germa-  
nia generosissimum & heroicum verè magnanimi  
Principis Electoris animum multis praeclaris rebus  
pro Catholica religione gestis & grauisimam aucto-  
ritatem etiam contra hereticos Principes ostendit  
Caesarea Maiestatifidelissimus Elector adfuit, cuius-  
dam noui Lutheranorum Pontificis seu Patriarchae  
insolentem & temerariam audaciam animosè re-  
pressit. Multarum doctarum & peregrinarum lin-  
GUATUM



## DEDICATORIA.

guarum, variarum scientiarum & artium cognitio-  
 nem, variam lectionem, memoriam incredibilem, do-  
 tes heroicæ & planè diuinas in communi vita con-  
 uersandi dexteritatem quæ pro me meritò dignè ex-  
 plicauerunt? quæ dotes tantæ tamque eximie sunt, vt  
 propemodum omnibus alijs electoribus Principibus  
 palmam præripere à multis non temerè existimetur.  
 Tanta autem est humilitate, benignitate & amabili  
 affectu in suum sanguinem, vt cum alioqui iuxta he-  
 mistichium Lucani omni potestas impatiens sit con-  
 sortis, S. Celsit. non agrè patitur, nec iniquo animo  
 ferat (cum iuxta philosophos subalternantia non pug-  
 nent) se à suo nepote in grauissima gubernationis sar-  
 cina seruata concordia subleuari, aded ab omni arro-  
 gantia paganorum principum Christianus princeps est  
 alienus. Neque verè saluberrimum consilium summi  
 Pontificis Clementis 8 & Reuerend. Cels. V. Reue-  
 rendorum atq; Illustrum Metropolitanorum Domi-  
 norum aded improbandum ac vituperandum est, vt  
 nonnulli existimant, quod videlicet nepotem ex fratre  
 Collegam & Coadiutorem in difficillima & latè pa-  
 tente hoc perniciosissimo tempore huius prouincie &  
 Diocæseos administratione sibi asctuerit & cooptaue-  
 rit collegam, cum neq; nouū hoc neq; inusitatum, neq;  
 inauditum sit. Apud Romanos (vt nihil dicam de ex-  
 emplis & historijs Iuris Canonici pene infinitis simi-  
 libus de datis & constitutis à Pontificibus Coadiuto-  
 ribus) post eiectionem tyrannidem & regiam potestatem  
 in secunda mutatione Reipubl. Romana, an non duo  
 Coss. creati sunt, qui simul imperarent Anno ab V. C.



## EPISTOLA

Carolus Sigonius in Com.  
ad fastos con-  
sulares.

244. & Anno ab V. C. 708. honorarij etiam Cois.  
creati, qui honoris duntaxat gratia surrogabantur?  
Nunquid simili planè ratione & modo anno Christi  
172. sub M. Aniceto Pontifice Antoninus Philosophus,  
qui Pio successit, initio Imperij creauit Lucium ve-  
rum Collegam & socium Imperij? An non tunc pri-  
mum duo Augusti regnare cœperunt, & Romanum  
imperium tulit duos equo iure imperantes, cum an-  
tea singulos tantum semper habuisset Augustus. Ete-  
nim Anthoninus Philosophus inter se & fratrem impe-  
rium æqualiter partitus est, vt docet Eutropius libr. 8.  
Iulius Capitolinus in M. Antonino; id si in consulibus  
& imperatoribus Romanis valuit, cur in Archiepisco-  
pis & Episcopis minus obtinebit? Obtestor autem V.  
C. enixissimè per omnia Musarum sacra, vt sicuti ha-  
ctenus mea studia fouerunt, protexerunt beneuolen-  
tia summoq; fauore prosequutæ sunt, singularique et-  
iam privilegio ornarunt; ita deinceps hoc mihi privile-  
gium conseruare & augere, atque ad reliquas luctu-  
brationes meas & monumenta in lucem proferenda,  
nempe Commentarios Ecclesiasticos de explanatione  
Missalis & Breuiarij iam diu absolutos, Animaduer-  
siones contra Ioannis Caluini Truchsesianas Instituti-  
ones propemodum perfectas, Confutationes Disciplina  
& Politia Caluiniana, cum in diuersis eorum edi-  
tis libris tum in M. S. tam Belgicis, quam Gallicis Sy-  
nchodis comprehensa, iam quoque ad umbilicum ferè  
deductas. Denique Syntagmata Antiquitatum Ec-  
clesiasticarum contra Calvinistas ex Annalibus Illu-  
stris;



DEDICATORIA.

strissimi Card. Casaris, Baronij summo adhibito delectu breuiter excerpta, quae iam describuntur, Catholica Ecclesia communicanda calcari addere, alacrioresque reddere velint. Dabo enim operam ut eo nomine, quo me licet indignissimum C. V. exornauit, ut S. C. Theologus appeller me magis magisque dignum quotidie prestare possim. Deus Optimus Maximus Vestras Celsitudines pro legitima ordinataque gubernatione huius Diocæseos Coloniensis ad collapsa restituenda ruinosa erigenda per multos annos incolumes tueatur. Datum Coloniae ex Collegio S. Andrea Anno Domini 1598. ipsis Kal. Iunij.

Vestrarum Serenissimarum Celsitudinum

humillimus semper cliens

Cornelius Schultinge  
Steinyvich.

DE